



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magistro Et Fratribvs Hospitalis sancti Sansonis Constantinopolitani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

vobis scripta mandantes quatenus ab Ecclesia Thebana & Clericis archiepiscopatus ejusdem non præsumentes crusticam vel aliquid contra justitiam extorquere, ab indebitis eorum exactionibus de cetero taliter desistatis quòd nullam de vobis justam habeant materiam conquerendi, vobis nihilominus injungentes ut decimas quas quilibet Christianus tenetur de jure solvere, cum Dominus ipse præceperit in horrea sua decimationes inferri, per solvatis Ecclesiæ memoratæ, ac ei, prout tenemini, faciatis persolvi tam à Græcis vobis subditis quàm Latinis. Datum ut in alia.

NOBILIBVS VIRIS DOMINIS
Nigripontis.

*Epist. 117.
De eadem re.*

Nobilitatem vestram &c. *ut in alia usque* mandantes quatenus ab Abinonensi Ecclesia & Clericis episcopatus ejusdem non præsumentes &c. *usque in finem.* Datum.

NOBILIBVS VIRIS DOMINIS
Fermopilensibus & Dominis Thebarum.

*Epist. 118.
De eadem re.*

Nobilitatem vestram &c. *ut in aliis usque* mandantes quatenus decimas ab Ecclesia Fermopilensi & Clericis episcopatus ejusdem non præsumentes &c. *ut in aliis usque in finem.* Datum ut supra.

NOBILI VIRO ROLANDO
Pissa.

*Epist. 119.
De eadem re.*

Nobilitatem tuam &c. *usque* mandantes quatenus ab Ecclesia Platamonsi & Clericis episcopatus ejusdem non præsumens &c. Datum ut supra.

NOBILI VIRO COMESTAVLO
Thessalonicensi.

*Epist. 120.
Vt dignitates & possessiones Ecclesiæ Dimiceni restituat.*

Nobilitatem tuam &c. *usque* mandantes quatenus papates & possessiones ecclesiasticas tam à te quàm illis qui tuæ sunt jurisdictioni subiecti detentas cum fructibus inde perceptis restituens & restitui faciens, sicut justum fuerit, Ecclesiæ Dimiceni, ab ipsa Ecclesia & venerabili fratre nostro Episcopo & Clericis episcopatus ejusdem non præsumas crusticam vel aliquid contra justitiam extorquere, sed ab indebitis ejus exactionibus sic desistas quòd nullam de te justam habeant materiam conquerendi, tibi nihilominus injungentes ut decimas &c. *ut supra usque in finem.* *Data eadem.*

NOBILI VIRO O. DE ROCCA
Duci Athenarum.

Nobilitatem tuam &c. *usque* mandantes quatenus ab Atheniensi Ecclesia & Clericis archiepiscopatus ejusdem non præsumentes &c. *ut in superioribus.* *Data eadem.*

*Epist. 121.
De solvendo decimatum.*

LARISSIENSI ARCHIEPISCOPO.

Solet annuere &c. *usque* assensu, possessiones quas Ecclesia tua olim possedit & adhuc justè possidet & quietè, tibi & per te ipsi Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum apud sanctum Germanum vi. Idus Julij, anno undecimo.

*Epist. 122.
De confirmatione privilegiorum.*

MAGISTRO ET FRATRIBVS
Hospitalis sancti Sansonis Constantinopolitani.

Cum à nobis petitur &c. *usque* assensu, personas vestras & hospitale sancti Sansonis, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum Deo propitio justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Institutiones quoque quas dilectus filius Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legatus ibidem fecisse dinoscitur, sicut rationabiliter factæ sunt & in ejusdem authentico plenius continentur, ratas habentes, ipsas præcipimus firmiter observari. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & iussionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

*Epist. 123.
De confirmatione privilegiorum.*

ABBATI ET CONVENTVI
Fosse nove.

Si olim in veteri testamento altaris consecratio celebris habebatur, quanto magis nunc in novo debet solemnis haberi, cum non minùs inter illud & istud quàm inter lucem & umbram distet altare. In illo sanè carnales & irrationales hostiæ mactabantur, in isto verò illud unicum & vivificum holocaustum semper offertur quod pro redemptione humani generis semel in ara crucis extitit victimatum, videlicet unigenitus Dei filius Iesus Christus, idem ipse sacrificium & sacerdos, qui & pretium se dedit in cruce, ut moriens fideles suos à morte redimeret, &

*Epist. 124.
De dedicatione altaris.*